



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs VI. Quia Legum est Obseruator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

Da, Christe, gratiam, vt hinc Superiores participes fiant mansuetudinis tuæ, ne ibi indignationis tuæ potentiam experiri cogantur. Discant Calamum quassatum non conterere, nec linum fumigans extinguere, vt benedicantur, pacemque obtinere possint.

DISCURSVS VI.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Quia Legum est Obseruator.

PROscriptâ in superiori Discursu, à Regibus & Dynastis crudelitate: Nunc, vt cum Christo Legibus sese non eximant, docebo, si alias benedicti esse velint, pacemque obtinere, ritè impetrat ille, qui, quod vult alios, ipsemet ante facit.

Or-

Ordo est consuetus:

Primò, Reges seruare debere Leges.

Secundò, damna non seruatis oriri.

Tertiò, Christum illas perfectissimè seruasse, ostendemus.

MAGNATES LEGIBVS OB-
TEMPERENT.

Bias noster sic statuit: *Gubernator Leges antiquas violare ausus, tum Magistratui abdicator, tum Ciuitate eijctor; nihil enim Reipubl. magis exitio est, quam Legum nouarum inuentio, veterumq; Consuetudinum bonarum violatio.*

Procul valde à purpura veteres Ethnici Legum promiscuam violationem proscribere, neque vltimū illa dignum, qui harum obseruantiaē æmulus non esset, arbitrati sunt.

Summè commendat Antigonum Plutarchus; qui, ne fratris quidem causam domi cognoscere voluit, cum id Leges vetarent.

Antigonus hic Rex erat Macedonum, cuius Marsias frater litem habebat, sed à Rege postulabat, vt causam domi cognosceret; cui Antigonus: Si nihil,

in-

inquit, præter ius agimus; meliùs fiet in foro, cunctis audientibus. En Legum obseruatorem Regem, à quo fraternus affatus impetrare haud potuit, vt vel tantillum de iure cederet; vtpote qui hoc fratrem constrixit dilemmate: Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? si iustam, cur fugis hominum conscientiam; & ad domesticas latebras, rem fori pertrahis, non cariturus sinistra Ciuium suspicione, etiam si ob bonam causam viceris? Digna, iusto Rege, retorsio, in cuius præsentia non aranearum telis Leges similes erant, vtpote, qui, licet magnus, illas perfringere nullatenus conatus sit. Anacharsis enim quomodo humiles & tenues Legibus *Val. Max. lib. 7. c. 7.* stringantur, à potentioribus autem impune illæ violentur, ostendere volens, illas telis aranearum comparauit, in quibus infirmiora animalia inhaerent, valentiora perfringunt. Legibus similiter plurimum, nolens eas transgredi, deferbat Antiochus tertius; hic enim scripserat Ciuitatibus, vt si quid per litteras iuberet fieri, quod auersaretur Legibus, ne curarent perinde, quasi ipso nescio

scri-

scriptum esset. Optimè sanè, & in hoc benedici meritis. Quidquid enim pugnat cum Legibus, hoc velut insciente Principe scriptum esse putandum est;

Eras. lib. 5. apol. quos Legum defensores, non oppugnatores esse decet.

Plutarc. in Laced. apo. Miram huius rei habuit scientiam, miram Legibus detulit reuerentiam Demoratus; Hic aliquando rogatus, cur exularet Sparta, cum esset Rex, respondet: Quoniam Leges sunt in ea potentiores; significans Regem apud Lacedæmonios esse Principem Ciuitatis, & non Legum Dominum. Sed his non minus obnoxium Regem, quàm Ciues, maledicta proinde vox illa incestuosæ Imperatriciis, Si libet, licet, nescis te Regem, qui alijs Leges dare, à nullo accipere debes.

Mang. ser. 50. Aliter certè, & longè aliter, magisq; sanè censuit prudentissimus ille Solon, qui interrogatus quo pacto salua foret Respublica: Si Ciues, inquit, Magistratui, Magistratus autem Legibus, obediant.

Hoc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrâ, scilicet Legibus regi debere Reges, si pacificata cupiant Regna.
Quid

Quid? nūquid sacræ à Legibus Principes excipiunt Litteræ? quæ illas exactè iisdē seruandas præscribunt. Audi mandantem Legislatorem Israël, postquam ait: *Rex sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuitica tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cerimonias eius.* Quid clarius? Audite hæc, Reges, & intelligite, nec vobis licere quælibet persuadeatis, aliàs non benedicendi, non pace ditandi.

Nunquid Rex Regum, Dominus Dominantium in hoc Iudæorum Principum taxat malitiam, quòd Legibus alios subiiciant, seiplos eximentes, cum vinculo? *Alligant grauia onera super humeros, quæ ne quidem digito leuare conantur.* Væ tali Reipublicæ, vbi Qui quod vult alios, non priùs ipse facit.

DAMNA SI NON SERVENT
LEGES PRIORES.

Sicut nulli Reipublicæ meliùs esse potest, si Legum apud Regentes vigeat ob-

sor-

seruantia, sic deterius nulla habebit, dum apud eosdem Legum est neglectus. Nouerat hoc Pausanias, dum Spartis præerat; interrogatus namque à fratre Plistonacto, quamobrem apud Spartanos nefas esset, vllam priscautum nouare legem? Quoniam, inquit, Legibus conuenit authoritas in homines, non hominibus in Leges.

Sapientissimus hic Rex dum fore, I publicas saluas optimè senserat, si vtrunque Legum facta esset authoritas.

Multum namque per omnem modum Principes, Legum transgressores, & sibi, & Communitati nocent. Sapientiæ Liber hanc vti nam Magnatibus persuaderet sapientiam, vti nam doceret cautelam, vti nam persuaderet doctrinam hisce verbis contentam: *Audite Reges, & intelligite, præbere aures iudices finium terra, quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab Altissimo. Sed quid potentes hic audient? qualiter scilicet vel Legum obseruantia benedicti, vel negligentia maledicti habeantur. Sequitur enim: Interrogabit Altissimus opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cuius esse-*

Sup. 6.

essetis ministri Regni eius, non custodistis legem.

Horrendè igitur & citò apparebit, quia iudicium durissimum his qui præsumunt. Ecce ut clarum sit quàm sibi ipsis obsint, qui dum Reges sunt, aut Principes, Legum iura violare nullatenus religioni ducunt: iudicium namque his durissimum minatur Deus, ut quo ab hominibus magis erant immunes, ab Altissimo grauiùs contemnentur.

Et hoc fortè tolerabile videretur, nisi & malo suo exemplo Ciuitates & populos quibus præsumunt, iisdem inuoluerent poenis. Tritum est & notum vulgare illud prouerbum: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Si enim Reges legem custoditam velint, illi priùs eandem custodiant necesse est.

Hæc enim vulgi præpostera consuetudo est, ut non quod præcipitur faciant, licet deberent, sed quod vident, sequantur, esto non deceat; in promptu dum corriguntur, & ad legis præscriptum viuere coguntur, à discolis edicere habent: *Eijce primùm trabem de oculo tuo,* & illud: *Medice cura teipsum.* Ibid. 4.

Quid

Quid igitur superest, nisi ut vitijs scateat
 Communitas, cuius Magnates iisdem
 non carent? & quid mirum ruere leges
 in populo, si à Rege conculcentur?

Cùm igitur ex hac apud Magnates le-
 gum præuaricatione vitia & facinora in-
 gruant, poenas & damna sequi quis non
 videt? Quis Rempublicam damnis libe-
 rabit, si legum apud Capita non est au-
 thoritas?

Optimè ad rem meam raræ sapientiæ
 & eloquentiæ vir illustrissimus Guarra,
 Fons, inquit, si amarus sit, dulces esse ri-
 uuli, qui inde manant, non possunt. Sic
 si Principes Dei mandatorumq; eius pa-
 rum reuerentes sint, eò res redit, ut Re-
 gna subditiq; eorum mali sint Christiani,
 proindeq; de Dynastis talibus nunquam
 diceretur: Benedictus qui venit in no-
 mine Domini. Ad quæ enim damna Re-
 gnum Israël inuenit Ieroboam Dei & le-
 gis oblitus?

3. Reg. 12.
 13. 14.

CHRISTVS REX LEGI
 SVBIICTVR.

Maledictus ergo Ieroboam præuari-
 cator legis, at contra Christus benedi-
 ctus,

Etus, qui legem custodit; non, eam ut solueret, sed ut impleret, venisse se palam protestando.

Si laudatur Rex quidam adeo legis obseruans, ut adulterio filium notatum vno, seq; altero priuarit oculo, ut sic & legibus detulerit, & in filium misericordiam ostenderit. Magis laudandus ac benedicendus venit Rex noster, qui nihil legibus debens, veruntamen illas adimpleuit, idq; perfectissimè.

O Rex Regum, qui verè demonstras venisse te legem non soluere, sed adimplere. Ideoque benedictus qui venis in nomine Domini.

Nondum natus Augusti legibus obtemperaturus, ad descriptionem in *Luc. 2.* Bethlehem properas, tu qui omnium *e- Ibid. 10.* lectiorum nomina in coelis, æquè repro- *Ier. 17.* borum in terris descripta habes, describi iuxta leges non retrectas.

Vix natus ex lege pendes, Circumcisionem non horres, quid tibi & Circumcisioni? tu Saluator diceris, quid opus Circumcisione? Circumcidere potius *Luc. 2.* quàm circumcidi dignus. Circumcidi lex mandat, ergo mihi fas esto. Ergo & benedictus es.

Ibid.

Peracta Circumcisione, stato tempore vt legem seruet, templo sese inferri, Domino præsentari, coram Sacerdotibus pretio redimi passus est, qui omnium nostrum facturus erat redemptionem. O Legifer, legi parans.

Benedictus ergo.

*Luc. 3.**Ioan. 7.*

Festos dies ex lege seruare, ijsq; templa adire sancitum erat, nullum violat festi diem, templum nunquam dum ille ageretur, non ingressus est, licet Dominus esset templi, & hoc etiam Sabbatho.

Ergo benedictus.

Matt. 17.

Soluit staterem Principi terreno, cuius Principatus in manibus eius versabatur, tributa omnibus imponere de iure habens potestatem, cuius vtpote omnia nostra erant, tributum ipse soluit, ne legem violasse calumniari possit.

Ergo benedictus.

Quid? ad mortem properans, Pascha ex lege præscriptum celebrare non negligit; vt legem illius mortis figuram roboraret magis. Ergo benedictus.

Vide igitur, ô Dynasta, legem Regem seruare, vt tu illâ te obligatum non ignores.

Vide,

Vide, Subdite, Principem Legi parê-
re, vt tu eandem transgredi non præsu-
mas.

Adimpleuit Legem perficiendo quæ
illa iusserat.

Adimpleuit magis addendo quod ei
deerat.

Audistis quia dictum est antiquis,
Non occides. Quid Rex noster? Ego di- *Matth. 5.*
co vobis, Nolite irasci.

Audistis quia dictum, Non adultera-
bis. Quid Rex noster? Non concupi-
sces; videns enim mulierem ad concu-
piscendum, iam moechatus est in cor-
de.

Audistis quia dictum, Non vlcisceris.
Quid Rex noster? *Diligite inimicos ve-*
stros.

Regis ergo ad exemplum totus com-
ponatur orbis, vt benedicatur cum illo,
& pacem obtineat.

✱ ✱
✱

I

DIS-